DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA.

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS NIBLOCK,

HIBERNUS,

SOCIETAT. REG. PHYS. EDIN. SOD.

NECNON,

SOCIETAT. HIBERN. MED. EDIN. SOC. ORD.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

——————— Questuque cruentus,
Atque imploranti similis.

OVID.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC.

JACOBO NIBLOCK, ARMIGERO,

DE MONAGHAN;

HOMINUM ET PATRUM OPTIMO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EXIGUUM, SED SINCERUM,

OBSERVANTIÆ ET PIETATIS,

TESTIMONIUM,

SACRAS VULT

FILIUS,

JACOBUS NIBLOCK.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA.

INFLAMMATIO, pro variis quas occupat partibus, variis nominibus gaudet. Quùm oculos afficiat, Ophthalmia nuncupatur, quam hujufce differtationis materiam felegi, cùm ob frequentiam, tùm partis affectæ magnam utilitatem, et fummam formæ dignitatem.

 Scriptores

Scriptores ferè omnes ophthalmiam dividunt in duas ſpecies, nimirùm, Idiopathicam et Symptomaticam. De priori tantùm, pauca diſſerere in animo eſt: quia poſterioris curatio, a morbi primarii medela, pendet.

Hunc morbum ſic definit doct. et cel. CULLENUS:

"Rubor et dolor oculi; lucis intolerantia; "plerumque cum lachrymatione."

MORBI HISTORIA.

DISTINGUI ſolet hic morbus in Ophthalmiam Membranarum, et Ophthalmiam Tarſi. Prior in tunica adnata, membraniſque ei ſub-

jectis,

jectis, sita est. Posterior, glandulas sebaceas in tarso, seu margine palpebrarum, positas, invadit; et tumore, erosione, et exudatione glutinosa, plerumque stipatur.

Præcipuum ophthalmiæ signum, est rubor vividus adnatæ, quem efficit vasorum numerus, major quàm in statu naturali conspicitur, quæ admodùm turgescunt, et sæpissimè extenduntur in corneam, quúmque morbus diu perstiterit, non rarò in maculas albas desinunt. Quod cùm accidit, cornea ipsa interdum opaca evadit. Cum his, dolor magnus, qui semper præsens est, quocunque motu in oculo exacerbatur. Porrò, semper adest pulveris quasi palpebram inter et oculi globum delitentis sensus, luce adauctus; unde oritur lachrymarum effusio magna, interdum adeò acrium, ut partes vicinas excoriat. Hæc symptomata plerumque comitatur pupillæ contractio, præsertim

tim quùm lux admittitur. Adnatæ inflammatio per membranam interiori palpebrarum superficiei diſtributam ſerpit; et ſic cum tarſo communicans, glutinoſi humoris e glandulis ibi poſitis exudationem promovet, qui noctu palpebras conglutinat, manè vix ſeparandas. Quùm vetus ſit morbus, viſus imminuitur, aut prorsùs aboletur; interdum comitante dolore capitis lancinante, adeò gravi, ut membranarum ſubjectarum inflammationem ſubeſſe ſuſpicionem præbeat. Muſcæ ante oculum volitare videntur, et pyrexia ac delirium interdum accedunt; ſed hoc minimè frequens eſt. Ophthalmiam epidemicam et contagioſam interdum fuiſſe, accepimus: Quando epidemica eſt, tempore vernali graſſari dicitur, et peſſimis ſymptomatis ſtipatur. Eſt ubi periodicè graſſatur, et evacuationibus quibuſdam alternatur; non rarò aliorum morborum ſymptoma obſervatur.

Ophthalmia

Ophthalmia resolutione, nonnunquam etiam suppuratione, finitur. Nunquam, quoad scio, in gangrænam desinit. Aliquando maculas in membrana, quâ cornea obducitur, relinquit, quæ non rarò per totam corneæ superficiem extenduntur, visûsque facultatem, imminuunt, vel prorsùs abolent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Inter causas remotas, quæ ad ophthalmiam opportunitatem efficiunt, præcipua habendus est peculiaris corporis habitus, nempè diathesis phlogistica, quæ ophthalmiæ, ut et reliquarum phlegmasiarium, frequens causa est. Omnia ea quæ sanguinem justo copiosiorem

rem caput verſus dirigunt, vel ejuſdem reditui obſtant, morbo inducendo habilia ſunt. Hujuſmodi ſunt, fluxuum antiquorum ſuppreſſio, corporis inclinatio, ligaturæ collum comprimentes, in pulmonibus ſanguinis congeſtio, vel omnes cauſæ quæ ſanguinis per vaſa pulmonum reditum liberum prohibent. Oculi vaſorum laxitas et debilitas, unde unde orta, præcipuam ad morbum proclivitatem gignit. Non raró ea debilitas ab ophthalmia prægreſſa inducitur. Cauſæ aliæ ſunt, quibus produci poteſt morbus, ſine ulla præcedente corporis conditione: quorum præcipuæ ſunt, vis externa oculis illata; corpora extranea, ſtimulantia ſive acria, qualia ſunt metallorum ſive nicotianæ fumi, vel corpora mechanica ſub palpebras delata; pili ciliares introrſùm verſi; tarſorum inverſio; et tubercula palpebris adhærentia.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES

Frequentiores, ſunt ſequentes; nempè, lux nimis vivida, rerum minutarum crebra inſpectio, ebrietas frequens, præſertim ſi vocis intentio, calor externus et lux opus ſuum conferunt; quia hæc omnia arterioſum ſyſtema ad tam violentam actionem cient, ut ſanguis in oculi vaſa, ad morbum jam per ſe proclivia, ſummâ vi propellatur. Irritatio, quoque, ab aliis morbis derivata, vel oculi ipſius, vel totius ſyſtematis, hunc morbum efficere poſſunt. Inter tales cauſas frequentiores, ſunt ſyphilis, ſcrofula, rubeola, et gonorrhϾ ſuppreſſio. Calor et frigus,

frigus, corporibus jam ad morbum opportunis alternatim applicata, ophthalmiam gignere solent. Ille, dum vasorum nervos stimulat, humoresque rarefacit, solida simplicia solvit. Hoc autem, fibris simplicibus constrictis, et vasorum cavo imminuto, quò minùs sanguis liberè transeat, impedit; sicque oculorum debilitas, alternâ earum actione, inducitur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Lucis intolerantiam efficit retinæ sensibilitas aucta, nervorum sensibilitate vasorumque actione æquè intensis; et nictatio frequens quæ inde oritur, vasis adnatæ nimis repletis, oculi dolorem graviorem reddit.

Rubor

Rubor oculi non ſolum a rubris particulis ſanguinis, in vaſa, quæ in ſtatu naturali humorem decolorem ferre deſtinantur, adactis, oritur; verùm etiam a vaſis ipſis, ſanguinem ferentibus, ſolito turgidioribus factis. Hinc acutus dolor provenit; namque eadem actio, quâ ſanguis propellitur in vaſa humorem decolorem ferre deſtinata, nervorum ſenſilitatem auget, ut in omnibus membranis inflammatis apparet.

Lachrymarum effuſio omni irritatione excitatur, præſertim tamen lucis admiſſione, vel tarſi ſuper vaſa turgida frictione.

Pupillæ contractio naturæ niſus eſt, quo lucis radiis ad retinam tranſitus denegetur, quippe cujus ſenſilitas ſanguinis impetu in vaſis admodum augetur.

PROGNOSIS.

CONJECTURAM probabilem de hujus morbi terminatione prænunciandi cauſa, phænomenis ſequentibus maximam attentionem adhibeamus, neceſſe eſt. Judicium noſtrum de morbi eventu, ab inflammationis violentia, duratione, et cauſarum natura, pendet. Si ab ictu ſubitò originem trahit, amaurôſin inducere periclitatur. Inflammatio lenis, quæ vix ultra adnatam et palpebras progreditur, cornea lucida, copioſa lachrymarum leniorum effuſio, ſi remedia idonea adhibita fuerint, terminationem morbi fauſtam fore denunciant. Pupillæ contractio, muſcæ volitantes, capitis et

et temporum dolor lancinans, lucis intolerantia, magnam membranarum profundiorum inflammationem, ideóque visûs abolitionis periculum, ſubeſſe denotant. Oculorum quoque et narium ſiccitas, mali ominis ſunt; quia nervorum inſenſilitatem indicant. Maculæ et craſſitudo corneæ, globi oculi ſuppuratio, vel ex parte vel omninò, cæcitatem portendunt.

MEDELA.

Quoniam hicce morbus duo habet ſtadia, medendi indicationes variæ ſint, oportet. Igitur primò Activam, deinde Paſſivam, Ophthalmiam conſiderabo. Partis affectæ turgeſcentia, vaſorumque actio aucta, ſtadium primum denotant,

denotant, et his ſymptomatis ferè ſemper aggreditur ophthalmia. Sed quùm morbus diu manſerit, vel poſt remediorum, in ſtadio activo adhibitorum, uſum, in ſpeciem paſſivam ſæpiùs mutatur. Interdum initio paſſiva eſt, præſertim quùm in ſenibus accidit, vel in habitu debili inſtructis, in quibus nonnunquam ophthalmia pertinaciſſima, et certis intervallis redux, obſervatur.

Sed conſilia Ophthalmiæ Activæ medendi ſunt:

1*mò*, Sanguinis in parte dolente impetum imminuere.

2*dò*, Symptomatis quibuſdam moleſtis obviam ire.

Priuſquam,

Priusquam, autem, ad indicationes generales progrediamur, causæ remotæ vel amovendæ vel evitandæ sunt. Ante omnia, sedulò evitanda sunt sequentia; nempè, lucis admissio, calor externus, et studia nocturna, vel alii visum intendendi modi. Ideóque æger in tenebris profundis semper versetur, quo principio nihil utilius in hujus morbi medela, invenitur, ut experientia docet. Scire tamen oportet, ægrum, postquam in tenebris diu commoratus sit, ad almam lucem paulatim esse reducendum. Ad corpora extranea inter palpebras inclusa removenda, ablutio fluido blando, syringis ope, interdum satis est. Interdum, tamen, chirurgi opem poscunt: alia, pro eorum natura, aliis remediis tollenda sunt.

Consilio priori accommodatur regimen antiphlogisticum. Hoc enim, per totum morbi decursum,

decurſum, ſummâ diligentiâ obſervandum eſt. Hoc perficiendum eſt ſtimulis omnigenis, ſive internis, ſive externis, evitandis; qualia ſunt, lux nimia, nimius calor, cibus concoctu difficilis, vel e materia carnea conflatus. Hoc regimen ſummam attentionem ſibi vindicat, utpote quod ad morbi medelam plurimùm conferat. Ægro, igitur, cibus animalis prorſùs denegandus eſt; concedendaque tantùm farinacea et lac, quæ corpus non ſtimulant; necnon diluentia leniſſima, ad libitum, pro potu adhibeantur. Liquores ſpirituoſi et fermentati prorſùs abigantur.

Sanguinis detractio.—Quùm cauſa proxima perpendatur, præcipua pars medelæ in hac conſiſtat, neceſſe eſt. In ophthalmia, eodem modo ac in reliquis inflammationibus localibus evacuationes topicæ, per cucurbitulas cruentas

temporibus

temporibus admotas, et vaſorum turgidorum ſcarificationem, unà cum hirudinibus temporibus applicatis, ſanguinis quantitatem ſatis imminuunt. Atqui raró adhibenda eſt generalis ſanguinis evacuatio, niſi diatheſis phlogiſtica et pyrexia magna adſunt, aut membranæ profundè ſitæ inflammantur, præſertim autem retina, cujus ſymptomata in hyſteria obſervata ſunt. Quod cùm accidit, ſanguinis miſſio eò magis prodeſt quò propiùs oculo vena ſecatur. Hinc venam jugularem, vel arteriam temporalem, incidere præſtat. Admoveri debent veſicatoria partibus unde evacuatio hirudinibus vel cucurbitulis cruentis procuratur, quæ vaſorum actionem imminuunt; non quia revulſionem efficient vi ſtimulatrice, ſed quia vim poſſident partis inflammatæ ſenſilitatem obtundendi: Sicque uſus eorum in pneumonia, aliisque inflammationibus, explicari poteſt. Nam admodum

utilia

utilia inveniuntur, potiùs partium affectarum ſpaſmum ſolvendo, quàm ſerum evacuando. Si morbus ſæpe redit, vel aliis morbis alternatur, vel ad eum opportunus eſt æger, fonticuli ejus reditui ſæpe obſtant. Laxantia in capitis morborum medela, in omni ævo meritò laudata ſunt. Nam non ſolum humoris aquoſi evacuationem promovent, et ſic humorum maſſam imminuunt; ſed ſtimulo eorum ad inteſtina communicato, ab aorta aſcendente ad deſcendentem ſanguinis impetum derivant, et hoc modo, affectiones omnes inflammatorias, præſertim pyrexiâ ſtipatas, egregiè ſublevant. Tamen fatendum eſt, pro evacuationis quantitatis ratione ea non prodeſſe, propter cauſas, quas in generali ſanguinis detractione conſideránda, anteà traditæ ſunt. Sed omnium laxantium hydrargyri præparationes, præſertim ſi humores opaci apparent, abſorptionem optimè promovent.

Conſilio

Consilio posteriori inserviunt sequentia: In cruciantibus oculorum doloribus, fomenta tepida, vasorum spasmum removendo, multùm prosunt. Ut et tinct. opii, quæ cum justa aquæ quantitate multùm levamen affert. Lachrymarum acrium, genas et partes vicinas excoriantium, effusioni obviam itur alicujus unguenti mitis applicatione. Quod si lachrymæ inter palpebras sint inclusæ, ut interdum usu venit, humore viscido ex glandulis Meibomianis secreto, qui palpebras noctu arctissimè conglutinat, absorptionem impediendo, et irritationem inflammationemque augendo, pessimis effectibus originem præbent. Talis exudatio in omnibus ferè ophthalmiæ speciebus, accidit; præsertim autem, quùm afficiantur tarsi; et ulcuscula, unde oritur, remediis causæ specificæ naturæ accommodatis, sunt sananda. Sed si affectio idiopathica est, inflammationis curationem, et ipsa postulat, et ad-

hæſio aliquo unguento ſimplici prohibeatur. Si tamen adhæſio manè adhuc perſtat, fomentis calidis reſolvenda eſt; ſcire autem oportet, omnes applicationes unctuoſas perniciosas eſſe.

Remediis ophthalmiæ activæ accommodatis jam enumeratis, ad ea quæ in Paſſiva adhibentur, me convertam. Ophthalmia paſſiva ſuccedit ophthalmiæ diu protractæ, a relaxatione et debilitate ortæ, quas prægreſſa vaſorum actio aucta ſemper relinquit. Remedia igitur quæ in altera utiliſſima inveniuntur, in altera quàm maximè nocent. Hinc non ſupervacaneum videtur, medendi conſilium in ophthalmia paſſiva indicare; nimirùm, partium affectarum tonum et actionem reſtaurare, corporique robur priſtinum reſtituere.

Ut

Ut priorem partem hujus indicationis impleamus, aftringentia topica, et ftimulantia, adhiberi debent. Ut obviam eamus excretioni a glandulis Meibomianis provenienti, et ob acrimoniam morbum diu protrahenti, remedium optimum mihi videtur, unguentum hydrargyro nitrato rubro conftans, cui adjiciatur jufta quantitas unguenti fimplicis, penicilli ope partibus affectis manè et noctè applicatum : cujus vi ftimulandi, folita vaforum actio reftituitur; pofteáque ulcufculorum, unde exudatio oritur, fanatio citò perficienda eft. Collyria aftringentia, cujufcunque generis fint, utilia inveniuntur; præfertim, autem, ea quæ folutione zinc. acet. aq. et camph. conftant; vel aq. diftil. zinc. vitriol. et acid vitr. dilut., quorum utilitatem magnam in Nofocomio Edinenfi, ipfe teftatus fum.

Errhina,

Errhina, humorum fluxum e naribus, partibusque oculorum vicinis, eliciunt, ſtimulando nervi optici ramulos, narium membranæ ſuperficiei impenſos; et hic fluxus forſan æqualis eſt ei quem eliciunt veſicatoria, quæ non minùs utilia in hac quàm in ſtadio activo reperiuntur; nam evacuando et eodem tempore ſtimulando, vaſa, jam debilia facta, priſtinum tonum recuperare poſſunt.

Univerſum corpus tonum ſolitum, ſtimulantium et tonicorum ope, recuperat: ſtimulandi vi, nihil magis valet electricitate, modicè diuque adhibita. Sed niſi alia remedia cum ea conjuncta ſunt, effecta citò evaneſcunt, ejusque uſu ſolo curatio ferè nunquam perficitur. Cortex Peruvianus omnibus tonicis antecellit, ut conſtat ex mirifica vi ejus roborante in morbis a debilitate oriundis. Et ne morbus redintegretur, poſt ejus curationem, in hujus

remedii

remedii ufu diuturno perfeverandum eft. Et fi morbus periodicus evadit, ante inflammationis reditum expectatum, adhibere debet. Hujufmodi curationis beneficium in fœmina, ætatis florentis, quæ hoc morbo certis intervallis redeunte laborabat, ipfe teftatus fum. Eidem confilio inferviunt ferri preparationes. Balneum frigidum, quoniam effecta fua in univerfum corpus exerit, quo minus fanguis ad ullam præ cæteris corporis partem ruat, impedit, et fic æqualem fanguinis circuitum ubique fervat.

FINIS.